

6085] que⁷⁷ in eo municipio coloniae^{77a} praefectur[a f]oro concilia[- (86) bulo⁷⁸ senatum decuriones conscriptosve legito neve sublegito neve coaptato⁷⁹ neve recitandos curato, | (87) nisi in demortuei damnateive locum eiusve, quei confessus erit, se senatorem decurionem conscreiptumve | (88) ibei h. l. esse non licere. |

(89) Quei minor annos XXX natus est erit, nei quis eorum post k. Ianuar. secundas in municipio colonia praefe[-(90)ctura IIvir.⁸⁰ IIIvir., neve quem alium mag. petito neve capito neve gerito, nisei quei eorum stipendia | (91) equo in legione III, aut pedestria in legione VI fecerit, quae stipendia in castris inve provincia maiore[m]⁸¹ | (92) partem sui quousque anni fecerit, aut bina semestria, quae ei pro singuleis anneis⁸² procedere oporteat⁸³, | (93) aut ei vocat[i]o⁸⁴ rei militaris legibus pl.ve sc.⁴⁹ exve foidere erit, quocirca eum inveitum merere non | (94) oporteat. Neve quis, que[i] praconium dissignationem libitinamve faciet, dum eorum quid faciet⁸⁵, in muni[-(95)cipio colonia praefectura IIvir. IIIvir. aliumve quem mag. petito neve capito neve gerito neve habeto, | (96) neve ibei senator neve decurio neve conscriptus esto, neve sententiam dicito. Quei eorum ex eis, quei s. s. s.⁸⁶, | (97) adversus ea fecerit, is HS Iooo p. d. d. e.⁸⁷, eiusque pecuniae quei volet petitio esto. |

(98) Queiquomque in municipio coloniae⁸⁸ praefectura post k. Quict. (sic) prim. comitia IIvir. IIvir.⁸⁹ aivei quoi mag. | (99) rogando sub rogandove habebit, is ne quem, quei minor anneis⁹⁰ natus est erit, IIvir. IIIvir.⁸⁹, quei⁹¹ ibei | (100) alium mag. habeat, renuntiato neve renuntiari ei iubeto, nisi quei stipendia equo in legione III, aut sti[-(101)pendia pedestria in legione VI fecerit, quae stipendia in castris inve provincia maiorem partem sui | (102) quousque anni fecerit, aut bina semestria, qua^{91a} ei pro singuleis anneis procedere oporteat, cum eo⁹² | (103) quod ei legibus pl. sc. proceder[e] oportebit, aut ei vocatio⁹³ rei militaris legibus pl.ve sc. ex ve foedere | (104) erit, quo circa eum invitum merere non oporteat. Neve eum, quei praconium dissignationem libitina[m]ve | (105) faciet, dum eorum quid faciet, IIvir. III[I]vir., queive ibei mag.

77) *Scr.* quem, 77a) colonia. — 78) *Inserere* in. — 79) *Scr.* coaptato. — 80) *Duoviratum*. — 81) maiorei *aes*. — 82) *Scr.* anneis (*cf. v. 102*). — 83) *Excidisse censet Momms. (collatis vv. 101—104)*: dum taxat quod ei legibus pl.ve sc. procedere oportebit. — 84) vocato *est in aere* (vocatio *etiam in lege repetundarum*; *cf. Plaut. Trin. 11, cet.*). — 85) *Huc pertinent quae scripsit Cicero (ad fam. 6, 18, 1) ad Leptam initio anni u. c. 709 (de tempore cf. O. E. Schmidt der Briefwechsel des Cicero p. 270. 275): quaesivi e Balbo . . . , quid esset in lege: rescripsit eos, qui facerent praconium, vetari esse in decurionibus, qui fecissent, non vetari . . . neque erat ferendum, . . . eos qui aliquando praconium fecissent, in municipiis decuriones esse non licere*. — 86) *Supra scriptei sunt*. — 87) *Populo dare damnas esto*. — 88) *Scr.* colonia. — 89) *Scr.* IIvir. IIIvir. — 90) *Excidit XXX (cf. v. 89)*. — 91) *Scr.* queive. — 91a) *Scr.* quae. — 92) *Fortasse: dum t(axat)*. — 93) *Cf. not. 84*.